



## UvA-DARE (Digital Academic Repository)

### Between Traditions: The Franciscans of Mount Sion and their rituals (1330-1517)

Covaci, V.

**Publication date**

2017

**Document Version**

Other version

**License**

Other

[Link to publication](#)

**Citation for published version (APA):**

Covaci, V. (2017). *Between Traditions: The Franciscans of Mount Sion and their rituals (1330-1517)*.

**General rights**

It is not permitted to download or to forward/distribute the text or part of it without the consent of the author(s) and/or copyright holder(s), other than for strictly personal, individual use, unless the work is under an open content license (like Creative Commons).

**Disclaimer/Complaints regulations**

If you believe that digital publication of certain material infringes any of your rights or (privacy) interests, please let the Library know, stating your reasons. In case of a legitimate complaint, the Library will make the material inaccessible and/or remove it from the website. Please Ask the Library: <https://uba.uva.nl/en/contact>, or a letter to: Library of the University of Amsterdam, Secretariat, Singel 425, 1012 WP Amsterdam, The Netherlands. You will be contacted as soon as possible.

## Annexes

### **Annex 1: *Ad Sanctum Sepulcrum Domini introitus***

Transcribed from MS MIN. 2 *olim* Zz v 19 Biblioteca Generale della Custodia di Terra Santa, Jerusalem

p. 123r (modern numbering)

Nos autem venerari oportet sepulcrum Domini Nostri Yhesu Christi, in quo est virtus, vita et consolacio nostra, per quem renati et baptizati sumus.

*V.* Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Concupiscit et difecit anima mea in atria Domini.

*V.* Gloria Patri etc.

*Oratio:*

Omnipotens sempiterne Deus, qui per unigenitum tuum pro nobis morientem et in sepulcro dulciter quiescentem, mortis dominium devicisti, tribue nobis opera mortis repellere, et ad vitam semper tendere sempiternam, ut gloria resurrectionis devoti efficiamur, et in futuro celesti gaudio divino munere rapiamur. Per eum.

*Lectio Ysaie prophete:*

Domine, quis credidit auditui nostro et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sicienti et non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde non reputavimus eum. Vere langores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum et quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.

123 v-

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostre super eum et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus unusquisque in viam suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum. De angustia et de iudicio sublatus est, generationem eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viventium, propter scellus populi mei percussit eos et dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.

*Allehuya*

O spelunca dignissima tuis sanctis visceribus ut figurarum septima vite librum clausisti, spes ad vitam fidelibus per te data surgentibus, qui et tu peperisti.

*Allehuya*

Hic insignis ac cubitus troni imperialis odore fragrat celitus, afflatus prophetalis inpletus, nam corrupcio abest et resoluti organi virginalis.

*Allehuya*

O rex Deus fortissime

124r- tui pondus iudicii exerce potentissime, super gente ferali iube nobis restitui locum sacra tumuli, brachio virtuali.

*Sequitur prosa:*

O insignis sepultura,  
Preparata pro cultura  
verbi unigeniti.  
Hoc adorat creatura  
per quod tollitur iactura  
orbis olim perdit.

Hic est tumulus regalis,  
Typum tenens virginalis  
Matris Dei uteri.  
Liber vite generalis,  
Factus victor triumphalis,  
clauditur ut ceteri.

A satrapis inferorum  
signatur rex angelorum,  
sigillo malicie,  
fremunt auctores malorum  
ipsum seductorem morum  
dicunt et nequicie.

O quo mactata dolore  
Mater suspirat merore  
Tantum ferens gladium.  
Dum cernit pro dulcore  
cruentatum ex amore,  
iudicatum filium.

Caput spinis coronatum  
manus, latus perforatum

horridum seppectaculo.  
Os livore deturpatum  
sputis lotum post velatum  
positum in tumulo.

Ipsium deprecemus corde  
qui sic nos lavit a sorde  
et tot probata pertulit.

124v

ut nos habent a morte  
collocanda cum cohorte  
sua qui erripuit. Amen<sup>1</sup>.

*Secundum Mattheum:*

In illo tempore convenerunt principes sacerdotum et pharisey ad Pliatum dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulcrum usque ad diem tertium, ne forte veniant discipuli et furentur eum et dicant plebi: Surrexit a mortuis, et erit novissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.

*Offertorium:*

O splendor glorie, cuius corpus supinum accubuit in pulvere labem pellens infectionis squalide qui tu non sensisti, tu consepultos resuscita tecum, in tremendo examine ad

125r vitam qui promisisti.

Deus qui in figuram his altaris tuum sacratissimum corpus in sepulcro includi permisisti, concede propicius ut huius oblacionis misterio nos et de viciorum exire sepulcro et tecum consepeliri facias. Qui cum.

O radix Iesse pullulans de corde terrenorum, qui stas semper ut adiuvans, in figura semper glorificans sepulcrum gloriosum.

*Allehuya*

*Post communionem:*

---

<sup>1</sup> In the transcription of this hymn, I followed the metre of the version published in: P. Gall Morel, ed., *Lateinische Hymnen des Mittelalters* (Einsiedeln, New York, Cincinnati: Druk und Verlag von Gebr. Carl und Nicolaus Benziger, 1866), 39.

Deus, qui pro nobis filium tuum mortuum ac sepultum resurrexisse fecisti, concede propicius ut nobis ad memoriam sue vivifice sepulture recurrentibus per sancta que sumpsimus secum consepeliti, cunctis malis actibus moriamur. Per eundem.

**Annex 2: Ordo processionis in ecclesia Sancti Sepulcri**

Transcribed from: MS 73G8 Koninklijke Bibliotheek Den Haag

48 v

Hic incipit ordo processionis in ecclesia Sancti Sepulcri quod adsunt peregrini congregatis fratribus ante hostium Sancti Sepulcri Domini Nostri Ihesu Christi cum cruce et cum candelis accensis, similiter et peregrini stando incipiat cantor alta voce cantando antiphona *Regina celi*. Alii prosequentes vadant versus capellam Sancte Marie, qua finita dicuntur:

49r

*antiphona* Apprehendit Ihesum Pylatus et ad columnam ligatum fortiter flagellavit.

*V.* De languores nostros ipse tulit. *R.* Et dolores nostros ipse portavit.

*Oratio collecta:*

Adesto nobis, Christe Salvator, per tuam penalem flagellationem et per tuum stillantem et aspersum sanguinem pretiosum ut omnia peccata nostra deleas nobisque tuam gratiam tribuas et ab omni periculo et adversitate nos protegas et ad vite eterne gaudium perducas. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

*Dicuntur letanie per ordinem sicut continentur in septem psalmis.*

*A.* Surgens Ihesus mane prima sabbati apparuit primo Marie Magdalene de qua eiecerat septem demonia.

*V.* Maria, noli me tangere.

*R.* Nondum ascendi ad Patrem.

*Oremus collecta:*

Domyne Ihesu Christe, alpha et omega, qui mane prima sabbati Marie Magdalene dulciter lacrimanti, te affabile iucundis confabulationibus et vultu desiderabili probuisti, concede nobis indignis famulis tuis ut sanctissimam faciem tuam plenam gratiarum in celesti gloria meritis tue resurrectionis videre valeamus. Qui vivis et regnas.

*A.* Ego te eduxi de captivitate Egypti demerso pharaone in Mari Rubro et tu me tradidisti carceri obscuro.

*V.* Dirupisti Domine vincula mea.

*R.* Tibi sacrificabo hostiam laudis.

*Oremus collecta:*

Domine Ihesu Christe, angelorum decor, gaudium et libertas mundi, qui pro nostra redemptione capi, ligari, carcerari, alaphis cedi, flagellari et consputi voluisti, fac nos quaesumus

49v

indignos famulos tuos penas et contumelias pro tui nominis gloria letanter suscipere et ad tue pietatis consortium mereamur feliciter pervenire. Qui vivis et regnas.

*A.* Milites postquam crucifixerunt Ihesum acceperunt vestimenta sua dantes unicuique militi partem.

*V.* Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.

*Oratio collecta:*

Benigne Ihesu Christe qui pro nostra redemptione ab indignis peccatorum manibus non solum in cruce nudus suspendit et mori voluisti, sed etiam tua sacratissima vestimenta partiri et donari permisisti, concede ut spoliati vitiis virtutibusque adornatis, tibi Deo vivo et vero in celesti gloria presentari mereamus. Qui vivis et regnas.

*Hymnus:*

O crux, ave spes unica  
hoc inventionis tempore,  
auge piis iustitiam  
reisque dona veniam.

*V.* Te suma Deus Trinitas collaudet omnis spiritus quos per crucis mysterium salvas rege per secula. Amen.

*A.* Orabat Iudas: Deus, Deus meus, ostende mihi lignum Sancte Crucis. Cumque ascendisset de lacu perrexit ad locum ubi pendebat santa crux, alleluia.

V. Hoc signum crucis erit in celo cum Ihesus dominus ad iudicandum venerit.

*Oratio collecta:*

Deus qui hic in preclara salutifera crucis inventionis passionis tue miracula suscitasti, concede ut vitalis ligni pretio eterne vite suffragia consequamur per eundem Christum.

*Hymnus*

Huius obtentu Deus alme nostris iam parce culpis vicia remittes quo tibi puri

50r

resonemus almi pectores ymnum. Gloria Patri geniteque Proli et Tibi compar utriusque semper Spiritus alme Deus unius omni tempore seculi. Amen.

A. Helena Constantini mater Iherosolimam petiit.

V. Ora pro nobis beata Helena.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oratio. Oremus:*

Deus, qui inter cetera potentie tue miracula etiam in sexu fragili virtutem recte intentionis corroborasti, praesta quaesumus ut Sancte Helene regine exemplo cuius studio desideratum regis nostri lignum Sancte Crucis detegere dignatus es, eaque Christi sunt iugiter indagare atque consequi te favente mereamur per eundem Dominum nostrum Ihesum Christum. Amen.

*Oremus:*

O Crux ave spes unica huius passionis

A. Ego dedi tibi sceptrum regale et tu meo capiti imposuisti spineam coronam. V. Posuisti Domine super caput eius. R. Coronam de lapide pretioso.

*Oremus Oremus collecta:*

Domine Ihesu Christe, qui humano generi condolens coronam spinarum in tuo sacratissimo suscipisti capite, et sanguinem tuum pro salute omnis fudisti, respice ad indignas preces nostras ut at te clementer exaudiri indulgentiam et remissionem omnium peccatorum, nobis tribuas per tuam magnam misericordiam et pietatem immensam. Qui vivis et regnis.



V. Amen.

*Hymnus:*

Vexilla regis prodeunt,  
fulget crucis misterium,  
quo carne carnis conditor,  
sensus est patibulo.

Quo vulneratus insuper  
mucrone diro lance,  
ut nos lavaret crimine,  
manavit unda sanguinem.

Impleta sunt que cecinit  
David fidelis carminem  
Dicens nationibus  
regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,  
ornata regis purpura,  
electa digno stipite,  
tam sancta membra tangere.

50v

Beata cuius brachiis  
seculi pependit pretium,  
statera facta corporis  
predamque tulit tartari<sup>1</sup>.

O crux, ave spes unica redemptionis.

Ecce locus ubi salus mundi pependit. Venite adoremus.

V. Adoremus te Christe.

R. Quia per sanctam crucem redimisti

*Oratio:*

---

<sup>1</sup> In the transcription of this hymn, I followed the metre of the version published in: F.J.E. Raby, ed., *The Oxford Book of Medieval Latin Verse* (Oxford: At the Clarendon Press, 1959), 75-76.

Domine Ihesu Christe, fili Dei vivi, qui hunc sanctissimum locum pro salute humanis generis pretioso sanguine tuo consecrasti, ad quem hora tertia duci voluisti ibique te spoliari a militibus permisisti ac demum hora sexta in crucis suspensis pro peccatoribus exorasti, matremque tuam dolorosam virginem comendasti ac ultimam hora nona in patris manibus clamans orans et lacrimans spiritum tradidisti et ibidem corpus tuum sanctissimum lancea perforari sustinuisti. Concede quesimus ut nos et omnes qui tuo sacratissimo sanguine redempti sumus et tue passionis memoriam celebramus, eiusdem passionis beneficium consequi valeamus.

*R.* Qui vivis et regnas etc.

*Hymnus:*

Pange, lingua, gloriosi proelium certaminis,  
et super crucis tropheum dic triumphum nobilem,  
qualiter redemptor orbis, immolates vicerit.

De parentis protoplasti fraude factor condolens,  
quando pomi noxialis morte morsu conruit,  
ipse lignum tunc notavit damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostre salutis ordo depoposcerat,  
multiformis perditoris ars ut artem falleret  
et medelam ferret inde, hostis unde leserat.

Quando venit ergo sacri plenitudo temporis,  
missus est ab arce patris natus orbis conditor,  
atque ventre

51r

virginali carno factus prodiit.

Vagit infans inter arcta conditus presepia,  
membra pannis involuta virgo mater alligat,  
et manus pedesque crura stricta cingit fascia<sup>2</sup>.

Gloria et honor Deo, usque quo altissimo una Patri Filioque inclito Paraclito cui laus est et potestas per universa secula. Amen

---

<sup>2</sup> In the transcription of this hymn, I followed the metre of the version published in: *The Oxford Book of Medieval Latin Verse*, 74.

R. Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentule dilexerunt te.

V. Delixisti iustitiam et odisti iniquitatem.

R. Propterea unxit te Deus oleo letitiae.

*Oratio Collecta*

*Oremus:*

Dulcissime Ihesu Christe, qui in tuo sacratissimo corpore, tuorum conscendens devotione fidelium ut te verum regem et sacerdotem ostenderes inungi, ab eisdem tuis fidelibus voluisti, concede ut corda nostra unctione spiritus sancti valeant ab omni infectione peccati continue preservari. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat etc.

*Hymnus:*

Ad cenam agni providi  
ut stolis albis candidi,  
post transitum maris Rubri  
Christo canamus principi.

Cuius corpus sanctissimum,  
in ara crucis torridum,  
cruore eius roseo  
gustando vivimus Deo protecti.

Pasche vespero a  
devastante angelo,  
erupti de dominio  
pharaonis imperio.

Iam Pasca nobis Christus est,  
qui immolatus agnus est,  
sinceritatis azima  
caro eius oblata est.

O vera digna hostia,  
per quam fracta sunt tartara,  
redempta plebs captivita  
redit ad vite praemia.

Consurgit Christus tumulo,

victor redit de barathro,  
tyrannum trudens vincula  
et reserans paradisum.

Quesumus auctor omnium  
in hoc pascali gaudio  
ab omni mortis impetu  
tu defende populum.

Gloria tibi, Domine,

51 v

qui surrexisset a mortuis. Amen.

*A.* Quem totus mundus non capit, hic uno saxo caluditur, atque morte iam perempta inferni claustra abiit.

*V.* Surrexit Dominus de hoc sepulcro.

*R.* Quia pro nobis pependit in ligno.

*Oratio:*

*Domine Ihesu Christe, qui hora diei vespertina, de cruce depositus in brachiis tue dulcissime matris, ut pie creditur reclinatus fuisti horaque ultima in hoc sacratissimo monumento corpus tuum exanime contulisti et die tertia mortalitate deposita gloriosus exinde surrexisti. Angelos quidem eiusdem resurrectionis testes apparere iussisti ac Magdalenam lacrimabiliter te querentem primum in hoc loco tua presentia consolatus fuisti, tribue, quesumus, nos et omnes, quos in oratione commendatos suscepimus, qui de tua passione memoriam facimus, resurrectionis gloriam consequamur. Qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

**Annex 3: The Euchology of the *Via Crucis* ritual in Jerusalem in the fifteenth century**

Stations with known euchology	Mariano da Siena (1431)	Gabriele Capodilista (1458) and Santo Brasca (1480)
Swoon of Mary		<i>Oratio:</i> Adiuvet nos, quesumus, Domine, apud tuam clementiam et Marie virginis pia depercatio, cuius animam dilecti filii tui passio amara graviter vulneravit. Per Cristum Dominum nostrum.
House of Pilate	<p><i>V.</i> Circumdederunt me hic viri mendaces, et sine causa flagellis caederunt me; sed tu, Domine, defensor vitae meae.</p> <p><i>R.</i> Quoniam tribulatio proxima est. Sed tu, Domine, defensor.</p> <p><i>Oratio:</i> Domine Iesu Christe, qui hora diei prima hic coram Pontio Pilato Praesidi praesentatus es. Ab iniqui innocens accusatus, facie velatus, et colafizatus fuisti, quaesumus nos tua passione ubique armati, hostes vincere, ut ad tuam valeamus pervenire gloriam. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas etc.</p>	<p><i>Imnus:</i> Tu qui velatus facie fuisti, sol iusticie, flexis illusus genibus, cesusque verberibus, te pettimus attentius, ut sit nobis propitius, et per tuam clementiam nos perduc ad gloriam.</p> <p><i>V.</i> Collaphisabant Dominum.</p> <p><i>R.</i> Verberatus flagellatum.</p> <p><i>Oratio:</i> Domine Ihesu Christe, qui tempore tue passionis hora die prima Pilato praesidi fuisti presentatus, ab iniquis, innocens accusatus, et spoliatus, facie velatus, tripharie adoratus, arundine verberatus et colaphisatus pro nobis fuisti, quesumus ut visione ubique armati et hostem vincere et ad gloriam tuam pervenire mereamur.</p> <p><i>Per Christum Dominum nostrum.</i></p>
Sheep Pool		<p><i>Antiphona:</i> Angelus Domini descendebat de celo et movebatur aqua.</p> <p><i>Oratio:</i> Tu, Domine, qui in figura baptismatis Probaticam Piscinam ad corporalium egritudinum remedia ordinasti, qua, angelo tuo ex celis aqua movente, sanabatur infirmi, age nobiscum misericordiam</p>

		tuam, et everte contritionis nobis piscinam ostende, qua levamur a viciis et corpore impoluti tibi acceptabiliter serviamus. Per Christum Dominum nostrum.
The Lord's Temple	<p><i>Antiphona:</i> Domus mea domus orationis vocabitur.</p> <p><i>V.</i> Vere locus iste sanctus est.</p> <p><i>R.</i> In quo orat Sacerdos pro delictis, et peccatis populi.</p> <p><i>Oratio:</i> Adesto, Domine, piis invocationis nostris, ut Templum hoc devote visitans, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum.</p>	<p><i>Antiphona:</i> Postquam replete sunt dies purgationis Mariae, secundum legem Moysi, tulerunt Ihesum in Ierusalem ut sisterent eum Domino.</p> <p><i>V.</i> Obtulerunt pro eo Domino.</p> <p><i>R.</i> Per turturum et duos pullos columbarum.</p> <p><i>Oratio:</i> Omnipotens sempiternae Deus, maiestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus filius tuus cum nostre carnis substantiam in templo est presentatus, ita facias nos purificatis mentibus presentari. Per Christum Dominum nostrum.</p>
Solomon's Temple		<p><i>Antiphona:</i> In domum Domini ibimus.</p> <p><i>Psalmus:</i> Letatus sum in his que dicta sunt michi: in domum Domini ibimus. Stantes errant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem. Ierusalem, que edificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Ihsrael ad confitendum nomini Domini. Quia illuc sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David. Rogate que ad pacem sunt Ierusalem, et habundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, et habundancia in turribus tuis; propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem de te. Propter Domum Domini nostrum, quesivi bona tibi. Gloria patri et filio et</p>

		spiritui sancto etc.
House of St Anne	<p><i>Antiphona:</i> Nativitatis tua hic Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit in universe mundo, ex te enim ortus est Sol Iustitiae Christus Deus noster, et solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.</p> <p><i>V.</i> Nativitatis fuit hic Sanctae Mariae Virginis.</p> <p><i>R.</i> Cuius vita inclita cunctas illustrat Ecclesias.</p> <p><i>Oratio:</i> Famulus tuis, quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impartire, ut quibus Beatae Mariae Virginis hic partus extitit salutis exordium, Nativitatis eius votive solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti deus per saecula saeculorum.</p>	<p><i>Antiphona:</i> Nativitatis gloriose virginis Marie ex semine Abrahae, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe David.</p> <p><i>V.</i> Nativitatis est hodie Sanctae Marie Virginis.</p> <p><i>R.</i> Cuius vita inclita cunctas illustrat ecclesias.</p> <p><i>Oratio:</i> Famulis tuis, quesumus, Domine, celestis gratiae munus impartire, ut que beate Virginis extitit exordium salutis nativitatis, eius votive commemoratio pacis tribuat incrementum.</p>